

dicitur, quia per universum mundum est constituta. Vel quoniam catholica, hoc est generalis, in eadem doctrina est ad instructionem.

NONUM.

(Ex eodem.)

De illis qui ecclesias incenderunt.

Si quis ecclesiam comburit, quindecim annos pœniteat, et eam sedule restituat, et pretium pauperibus distribuat.

DECIMUM.

(Ex eodem.)

Libertam domino legitime nubere posse.

Si quis ancillam suam libertate donaverit, et in matrimonio sibi sociaverit, dubitabatur apud quosdam, utrum hujusmodi nuptiæ legitimæ esse videantur, an non. Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censuimus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, et nihil impium et legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias inhibendas existimamus?

EPISTOLA I (1)

INCREPATORIA JULII PAPÆ I AD ORIENTALES EPISCOPOS PRO GAUSIS ATHANASII, ET EXCESSIBUS CONTRA ROMANAM ECCLESIAM.

(Conc. t. II, col. 475.)

- I. Quod soli Romano pontifici licet generale concilium cogere, et episcopos judicare.
- II. Non oportet præter sententiam pontificis Romani concilia celebrare, vel episcopos damnare.
- III. Ut accusatores et accusationes, quas leges sæculi non admittunt, repellantur.
- IV. Si quis episcopum præter auctoritatem sedis apostolicæ damnaverit, vel a sede expulerit, de gradu suo deficiatur, et excommunicetur; et episcopi ejecti restituantur.

Venerabilibus fratribus universis orientalibus episcopis Julius.

Decuerat vos, fratres, alios ecclesiasticis instruere disciplinis, et non talibus arguere machinamentis, dicente Joanne Baptista: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis* (Luc. III), et reliqua. De qua re et apostolus Paulus nos instruit, dicens: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales esis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris* (Gal. VI), et reliqua. Et alibi Petrus apostolus ait (I Pet. III): *Omnes unani-*

(1) Hæc cum seqq. supposita Baronio aliisque eruditius merito videtur, non secus atque aliæ Isidori merces ex Hispania primum, ut volunt profectæ.

A mesin oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, et videre dies bonos, coercent linguam suam a malo, et labia sua ne loquantur dolum. Declinet a malo, et faciat bonum: inquiret pacem, et sequatur (al. persequatur) *eam: quia oculi domini super justos, et aures ejus in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala* (Psal. XXXIII). Quid pejus est, fratres, quam ut sacerdotes Domini, qui ab omni mala coinquinatione, et a nocumento omnium Christianorum, quanto magis a fratrum et coepiscorum, alieni debent existere, quos tueri et sublevare ab insidiis debent, et

B quos fovere et diligere summopere oportet, persequantur eos, et communione privare decertent? Nec recordamini Sapientiam, quæ ait: *Perversæ enim cogitationes separant homines a Deo* (Sap. I)? Si perversæ cogitationes separant homines a Deo, quanto magis opera iniqua? Quid enim nequius est, quam ut illos, de quibus Dominus ait, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei* (Zach. II), quisquam avertere, persequi, destruere nitatur? Probata autem virtus portat, protegit et consolatur oppressos, et docet insipientes. *Est enim Deus testis cordis hominis* (al. humani), *scrutatorque verus singularum conscientiarum, et linguarum singularum auditor: quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis* (Psal. XVII). Et alias idem ipse ait (I Joan. IV): *Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus invicem diligere. Deum nemo vidit unquam: si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc intelligimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum, Salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo, et nos cognovimus, et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timo-*

NOTA SEVERINI BINII.

Epistola increpatoria Julii. Hanc epistolam Feliciano et Titiano consulibus datam anno Christ. 337 ex prima Romana synodo sub Julio habita a pontifice Romano scriptam fuisse his rationibus sic satis evidentibus statuere licet. Primum eodem consulatu Feliciani et Titiani hæc epistola atque Romana synodus consignata sunt. Secundo, quod de injusta Athanasii et Marcelli Ancyрани condemnatione et relegatione facta redarguantur ab his, qui se hunc ob finem con-

venisse in actis synodi aperte profitentur his verbis: *Pro fratrum oppressione tractantes laboremus; quia dum illi tam graviter affliguntur, nos nec respirare, nec quiescere possumus.* Anno Christi 336, Athanasium suis conventiculis aliquoties condemnatum relegaverant: quæ cum citra Romani pontificis scitum et consensum contigissent, jure meritoque de nullitate facti, et ecclesiasticarum constitutionum violatione reprehenduntur.

rem, quoniam pœnam timor habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum. Nam et ipsa sapientia ait (Prov. xv): *Lingua sapientium ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Domus justi plurima fortitudo: et in fructibus impij conturbatio. Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. Victimæ impiorum abominabiles erunt Domino: vota justorum placabilia. Qui sequitur justitiam diligitur a Domino. Item alibi (Prov. x): Labia justi considerant placita, et os impiorum perversa. Simplicitas justorum dirigit eos; et supplantatio perversorum vastabit eos, justitia rectorum liberabit eos, et in insidiis suis capientur iniqui. Justus de angustia liberabitur, et tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicum suum, justi autem liberabuntur scientia. In bonis justorum exaltabitur (al. exultabit) civitas, et in perditione impiorum erit laudatio. Benedictione justorum exaltabitur civitas. Nec consideratis, qui fratres persequi non cessatis, qualia Job patientissimus, inter cætera exorsus, loquitur (Job. xxix): *Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum: et vestivi me sicut vestimento et diademate judicio meo. Oculus sui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum: et causam quam nesciebam diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferabam prædam. Et paulo post: Si negavi, inquit, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea: quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. Nam si quis hæc recto omnia consideraverit oculo, nequaquam fratres (al. fratibus) nocere, sed liberare festinabit, quia nihil deterius est, quam cives civibus invidere, et fratres fratribus insidiari, aut calumnias facere. Talibus enim refragari volentes insidiis patres sancti, synodum congregaverunt generalem in Nicæa, vitam corrigere hominum cupientes in Ecclesia commorantium. Licet dudum instituta sanctorum multa Patrum essent conscripta, posuerunt leges, quas sacros canones appellamus, quibus multa pernecessaria ad statum Ecclesiæ sanctæ Dei, et supplementum columnarum ejus, id est episcoporum, qui eam propriis humeris gestant, sunt decreta, et nocumenta eorum prohibita, ita ut qui talia agere tentaverint, aut eis nocere præsumpserint, si quidem clerici fuerint, a proprio gradu decendant, si vero monachi aut laici fuerint, anathematizentur. Quibus armati exemplis, oportere arbitrati sumus, ab omnipotente Deo inspirati, ut hanc**

accensam discordiæ flammam extinguere apostolica debeamus auctoritate, et non concedere eam ulterius animas depasci humanas. Quapropter una cum omnibus apostolicæ subjectionis regulæ sancimus, ne quisquam deinceps Christianorum talia perpetrare, aut episcopis temere nocere præsumat, cum et doctor gentium idipsum prohibeat, dicens: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (I Tim. v), et reliqua. Bonum est namque procul dubio, et omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones et altercationes, fratribusque subvenire, et invicem non invidere, sed adjuvare. Audite, inquam, jam factam in Nicæna civitate synodum, cui et ipse conscientie meæ (1) cultum decenter exhibui, nihil aliud volens quam concordiam omnibus fabricare, et præ cunctis arguere et remove hanc insidiantium altercationem: quas prævidentes sancti Patres insidias et illicitas altercationes, unanimiter in prædicta Nicæna statuerunt synodo, ut nullus episcopus, nisi in legitima synodo, et suo tempore apostolica auctoritate convocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est, judicetur vel damnetur. Sin aliter præsumptum a quibusdam fuerit, in vanum deducatur (al. deducetur) quod egerint, nec inter ecclesiastica ullo modo reputabitur.

I.

Ipsi vero primæ sedis Ecclesiæ convocandarum generalium synodorum jura et judicia episcoporum singulari privilegio evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis, quia semper majores causæ ad sedem apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. Nec ullo modo potest major a minore judicari. Ipsa namque omnibus major et prælata est ecclesiis, quæ non solummodo canonum et sanctorum Patrum decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum. *Tu es, inquit, Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (Matth. xvi), et reliqua. *Et quæcumque ligaveris super terram et solveris, erunt ligata et soluta in cælo et in terra.*

II.

Porro dudum a sanctis apostolis successoribusque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hætenus sancta et universalis apostolica tenet ecclesia, non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari (Socr. II, 8 et 17), nec episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam ecclesiam primatem (al. primariam) omnium ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut B. Petrus apostolus primus fuit omnium apostolorum, ita et hæc ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino institente, prima et caput sit cæterarum, et ad eam, quasi ad matrem atque apicem, omnes majores Ecclesiæ causæ, et judicia episcoporum recurrant, ejusque justa sententia (al. et juxta ejus sententiam) terminari sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni pontificem, quatenus non ita proterve, et pro libito

(1) Const. M. in ep. ad Alex. Trip. Hist. III, 27, ex Socratis I, 6.

cujuspiam, suo proprio arbitrio, quibusque metropolitans, sicut agere solebant, liceat, inconsulto Romano pontifice, aut majores Ecclesie causas deturbare, aut episcopos damnare, sed communi sancte Romanæ sedis episcopi consilio (1) et concordia actione quæque sunt Christi zelo agenda disponant unanimiter, recteque sentiant, et ea quæ senserint, non sibi met discrepando, sed Deo placita perficiant.

III.

Est etiam in jam fata Nicæna concorditer statutum synodo, accusatores et accusationes, quas sæculi leges non admittunt, a sacerdotali funditus averti nocumento. *Ecce, inquit Propheta, quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum (Psal. cxxxii).* Illi vero non in unum habitant, qui a fratrum se solatio subtrahunt, aut fratribus insidias præparant. Non alieno vos, fratres, patiamini peccato gravari (S. Leo, ep. 25), quia quod necesse est, nos dicere veremur, id est, ne cuius religio dissipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete, et tota mentis acie reverenter aspiciate beati Petri gloriam, et cum ipso communes omnium apostolorum coronas, cunctorumque martyrum palmas, qui pro fratrum non destructione, sed confirmatione et veritate in Christo passi sunt.

IV.

Nos ergo, qui Domini discipuli et dici et esse volumus, portare crucem Christi, et compati fratribus debemus, et non persequi. Subtrahite (rogamus) actus cogitationesque a talibus nocumentis, si non vultis ipsam in vos suscipere ultionem: quoniam talionem meretur qui fratri foveam præparat. Et nos scitote hunc (*Africani PP. in. ep. ad Bonifacium*) typhum deinceps non esse passuros, ut ea quæ ad hanc specialiter sanctam pertinent sedem, sicut judicia episcoporum et majores Ecclesie causæ, ut paulo superius prælibatum est, vos patiamur nobis inconsultis invadere absque vestri status periculo. Sed si quis ab hodierna die et deinceps episcopum præter hujus sancte sedis sententiam damnare, aut propria pellere sede præsumserit, sciat se irrecoverabiliter esse damnatum, et proprio carere perpetim honore, eosque qui absque hujus sedis sunt ejecti sententia vel damnati, hujus sancte sedis auctoritate scitote pristinam recipere communionem, et in propriis restitui sedibus: quoniam et prius, a tempore scilicet apostolorum, hæc huic sedi sancte concessa sunt, et postea in memorata Nicæna synodo, propter pravorum hominum infestationes, atque hæreticorum persecutiones, et insidiantium molimina fratrum, sunt concorditer ab omnibus corroborata, ut magis singuli provideant (*al. prævideant*), ne talia audeant perpetrare, et caveant, si non propter Deum et amorem fratrum (*al. fraternum*), tamen propter opprobrium hominum, ruborem suum atque canonicam ultionem, saltem hæc timore et verecun-

(1) Hadr. coll. 45. Habetur infra in decr. Julii papæ, Ad orientales episcopos pro Athanasio.

dia compressa, silentioque comprimantur, amputato scilicet totius (S. Leo, ep. 84) usurpationis excessu, quia nullus debet præsumere quæ sibi non videntur esse concessa. Quam culpam nullo modo potuisset incidere (S. Leo, ep. 4, cap 7), si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiae sumeretis: et beati apostoli Petri sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticæ magistra rationis. Unde sicut multum nos ea quæ a vobis pie recteque sunt acta lætificant, ita nimium ea quæ sunt perperam gesta contristant, quoniam necesse est post multarum talium experimenta causarum hæc in posterum sollicitius prospici, et diligentius præcaveri, quatenus ea, quæ sunt ab apostolis eorumque successoribus statuta, nulla desidia negligantur, nulla dissentione violentur, nulla concertatione turbentur. *Nam sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* (Rom. xii) Connexio (1) totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit; et hæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum, quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est, quoniam et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma episcoporum quædam orta est distinctio, et magna ordinatione provisum, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem ejus susciperent ampliolem, per quos ad unam beati Petri sedem universalis Ecclesie cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit etiam ipse dependat. *Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi. Doctrinis variis et extraneis nolite abduci (Hebr. xiii).* En instituta apostolorum et apostolicorum virorum canonesque habetis (*Dist. ii, Nolite errare*), his frumini, his circumdamini, his delectamini, his armamini, ut his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula persistere valeatis. Satis enim indignum (*Gelasius, ep. 9, c. 10*) est quemquam vel pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc regulam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere. Multum enim convenit, ut totum corpus Ecclesie in hac sibi met observatione concordet, quæ inde auctoritatem habet, ubi Dominus Ecclesie totius posuit principatum, dicente Scriptura: *Ordinate in me charitatem (Cant. ii).* Et iterum: *Omnia cum ordine fiant (1 Cor. xiv).* Iterumque Psal-

(1) Idem Leo, ibidem, unde liquere arbitror eruditus quam ineptus fuerit harum laciniarum sartor qui posteris oculos eruere voluit. Plura ex his habentur in decretali epistola Vigilii papæ.

mista prædicante : *Circumdare Sion, et complectimini eam, narrate in turribus ejus. Ponite corda vestra, in virtute ejus, ut enarretis in progenies alteras, quoniam hic est Deus, Dominus (al. Deus) noster in æternum, et ipse reget nos in sæcula (Psalm. XLVII).* Officii enim nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas (al. liberum), quibus major cunctis christianæ religionis zelus incumbit, nec per taciturnitatem aut favere aut consentire videamur fratrum nocentis. Data Kalendis Octobris, Feliciano et Maximiano (fort. Titiano) viris clarissimis consulibus (anno 337).

EPISTOLA (1)

ORIENTALIUM AD JULIUM PAPAM I.

(Conc. t. II, col. 481.)

Causantur quod in communionem receperit Athanasium, B et ceteros quos ipsi damnaverant.

Domino beatissimo et honorabili patri Julio, apostolicæ sedis venerabili episcopo; Eusebius, Theognis, Theodorus, et (2) Berinthus una cum reliquis fratribus et coepiscopis nostris, in Antiochia congregatis(3).

Licet circa omnes Romanam ecclesiam sciamus esse munificam, et apostolicam habere curam, et semper matrem existere pietatis, quamquam ab Oriente ad eam prædicatores (*Hist. Trip. IV, 16, et Soz. III, 7*) pietatis advenissent, tamen optaremus vos nobiscum concordare, et quos a communione suspendimus, a vobis esse suspensos: et quos in ordine confirmamus episcoporum, a vobis esse confirmandos: nec nos secundo loco habendos; cum ex his partibus ad vos usque dogmatizantes apostoli pervenerint. Nec enim nos vestris resultavimus quamvis hoc agere potuissemus, quando Novatianus a Romana pulsus est ecclesia, quoniam (ut juxta vulgarem consuetudinem loquamur) inimicitias quarit omnis qui vult recedere ab amico (*Prov. XXVIII*). Nec crimine carere potest, qui alterius excommunicatum, absque ejus licentia, a quo communione est privatus, in communionem susceperit, canonibus scilicet jubentibus, ut excommunicatus ab aliis, ab aliis non suscipiatur, viventibus illis a quibus communione privatus esse dignoscitur. Nec solum in his nobis contumeliam irrogatis, sed etiam in his, quod concilia nostra dissolvitis, neque ea rata sinitis esse. Sunt namque a nobis, et maxime a totius Orientis episco-

(1) Bar. aliisque eruditis commentitia ex variis aliorum fragmentis latine scriptis consuta.

(2) Theodorus fuit Perinthis sive Heracleæ episcopus quem in duos distrahit falsarius.

(3) Anno 341. Prodit hæc epistola hæreticos fuisse qui eam scripserunt.

pis damnati, Athanasius Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyrae, Asclepius Gazæ, Lucianusque (1) Hadrianopolites, pro certis criminibus, quibus adversarii sunt apud nos inscripti, quæ per præsentis hujus epistolæ latores omnia sub certa relatione vestrae innotescere non omittimus sanctitati. Quibus agnitis, si nostris placitis magis quam eorum machinationibus assentire, et ordinato episcopos (*Hist. Trip. IV, 16*) in damnatorum loco firmare eligitis, pacem vobiscum et communionem habere volumus: si vero aliter egeritis, et eis amplius, quam nobis assentire judicaveritis, contraria celebrabimus, et vobiscum deinceps nec congregari, nec vobis obedire, nec vobis vestrisque favere volumus, sed per nos, quidquid melius elegerimus, agere conabimur. Nam nullus est in hac parte terrarum ætatem habens, qui ignoret prædictorum molimina seductorum, propter eos enim multa sunt mala peracta, multa concilia diversis et asperis temporibus celebrata, multæ seditiones, multæ machinationes (seductiones), multa nobis opprobria illata (2), et alia multa quæ enumerare perlongum est. Nam si his consentire eligitis, tunc liquet quod nos perdere vultis, et non, ut pater filios, fovere. Dicunt enim et affirmant tam cives istorum, quam etiam sacerdotes eorum, hos fovere vos velle homicidas (*Athan. apol. II, et ad solit. Hil. in fragm.*), sacerorum templorum eversores, virginum stupratores, sacerorum librorum incensores, sacerorumque vasorum, ac cæterorum sacerorum ministeriorum fraudatores, officiorum neglectores, imperatorum infidos, gentis et patriæ proditores, et inter sacerdotes maximam generantes discordiam, eo quod consubstantialitatis vocem, quæ scripta non invenitur, in fidei doctrina possissent. Quid plura enumerare necesse est, cum propter eos nobis et cunctis hujus regionis habitatoribus scientibus, tanta cædes hominum sit perpetrata, ut amplius quam mille homines sint prostrati? Talibus autem favere quid aliud est, quam sceleribus eorum consentire, cum sacra scriptura hæc prohibeat, dicens: *Non solum qui faciunt culpabiles existunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom. I*). Talibus enim vos obsistere totis viribus oportet, ne involvamini in peccatis eorum, et excommunicationem eorum ne suscipiatis. Tales enim D a vobis procul abjicite, ne propter aimositatem ta-

(1) *Athan. an. 335 Tyri*. Marcellus 336, in syn. CP. Paulus, anno 340. Corr. Asclepas et Lucius de quibus Athan. Soz. Socr. Theo.

(2) En ut agnoscunt Romani pontificis primatum.

NOTA SEVERINI BINI.

Epistola orientaliū. Ex epistola Julii ad orientales scripta, quam recitat Athanasius apologia 2, quæque supra col. 883 legitur certissime constat Arianos post concilium Antiochenum acerbins, ac majore cum fastu, superbia et contentione, quam decebat, scripsisse. Ita enim exorditur: *Legi epistolam vestram, quam mihi presbyteri mei Elpidius et Polyxenus attulerunt*, etc. Veram et germanam non exstare, præter auctoritatem Baronii anno 341,

num. 54, illud afferentis, ea quæ supra in principio Julii epistolarum annotavi, confirmant. Quæ hic secundo loco posita orientaliū nomen præfixum habet, ex Sozomeno et Socrate ab incerto quodam auctore compilata esse videtur, tum quod multa considerari, nonnulla etiam in rebus et nominibus in ea expressis variari advertes, si eam cum responsoria Julii, quam recitat Athanasius apologia 2, diligenter conferas.